



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 2. An sit vnus Purgatorij locus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

SECTIO II.

Vbi sit Purgatorij locus, & an vnus tantum sit.

DE hoc loco nihil in Scriptura sacra, vel definitione Ecclesie habetur, ideoq; res hac in disputatione Theologorum versatur. Omnes vero supponunt hunc esse aliquem corporalem locum, in quo anime detinentur donec poenas debitas persoluant. Nam licet per se non requirant corporalem locum, cum spiritus sint, nihilominus cum in terra hunc mundum contineantur, necessario sunt in aliquo loco corporeo, saltem secundum presentiam substantialem, vt aliis locis ex professo differui. Et ita videmus omnes spiritus angelicos, pro suorum statuum diuersitate, habere loca diuina prouidentia destinata, vt gehennam quae parata est diabolo, & angelis eius, & caelum Empyreum pro angelis sanctis. Sic ergo est certum purgandas animas in aliquo loco corporeo detineri: qui nec est caelum: quia nihil inquinatum illuc ingreditur, nec est ibi aliqua poena: nec est infernus, quia inde nulla est redemptio, neq; egressus. Quis ergo ille locus sit, & an sit certus, & vnus, & vbi sit, inuestigandum est.

Sitne Purgatorium certus, ac determinatus locus.

Quidam dixerunt non esse certum locum purgandis animis destinatum, sed variis locis deputari ex diuina voluntate iuxta occurrentes circumstantias. Ita Hugo de S. Victor. 16. cap. 4. vbi ait locum Purgatorij determinatum non esse, praeterquam quod multis reuelationibus, & exemplis constat, poenam illam in hoc mundo exerceri. Vnde colligit probabilius esse, vnumquemq; purgari vbi potissima peccata commisit, sicut multis documentis sepe probatum est. Et hanc sententiam non reputant improbabilem. Bonau. in 4. d. 49. arti. 2. q. 2. Fauet modus loquendi Gregor. 4. Dialog. 25. vbi animas purgandas, quibusdam mansionibus detineri dixit, indefinite loquens tanquam de indeterminate loco. Et c. 40. dicit Paschasium virum sanctum in Therinis Augulianis apparuisse Germano Episcopo Capuano, eique reuelasse in eum poenalem locum fuisse deputatum: quia contra Symmachium euidam Laurentio, fauerat, similemque reuelationem habet cap. 55. & Petrus Damian. in Epist. 13. ad Desiderium c. 7. Arnoldus etiam Bonouallis tractat. De Verb. Domin. in cruce. c. 2. Non ad loca purgatoria, (inquit) non ad flammam peccatorum vltimes consprensas destinatur: significans illa loca esse varia, & incerta. Aliorum opinio fuit, locum quidem Purgatorij vnum esse, illum vero supra terram, & infra caelum in media quadam regione esse collocatum. Ita referunt D. Th. & alij Scholastici dist. 21. Quorum fundamentum esse potius: quia status illarum animarum medius est inter statum beatorum, & damnatorum: ergo etiam locus debet esse medius, vt locus sit locato proportionatus.

Purgatorium esse vnum, ac certum locum versus terra centrum, Vera Conclusio.

Nihilominus dicendum est primo, vnum aliquem locum certum, ac definitum, sub terra versus eius centrum constitutum esse a Deo ad animarum purgationem. Haec est communis sententia Theologorum Diui Thomae in quarta distinctione 21. q. 1. articulo primo, quaestione secunda Richard. articulo primo, Suarez, tom. 4.

Prima opinio. Hugo de S. Victor. Bonau. Greg. Petrus Damian. Arnold. Bonoual. Secunda opinio. D. Th. Richard.

A solo primo quaestione tertia, & distinctione 45. articulo primo quaestione secunda, & ibi Bonauenturae articulo 2. quaest. 2. & dist. 20. 1. p. illius quaest. vlt. Paludani. quaest. 3. & dist. 21. q. 1. articulo 1. Durand. in 3. dist. 22. quaestione 4. Gabrielis ibi articulo 3. dub. 3. & aliorum eiusdem locis. Probaturque primo ratione: quia spectat ad conuenientem Dei prouidentiam, quod hic locus determinatus sit, sicut enim omnibus peccatis certas poenas certa lege definit: ita etiam certa loca destinavit ac praeparauit, in quibus illae poenae luendae sunt: quia locus ipse est pars quaedam poenae, quatenus in eo spiritus, vel contra dignitatem suam, vel etiam contra desiderium detinetur: tum etiam, quia non est verisimile Deum pro solo arbitrio vnam animam in hunc locum, aliam in alium mittere ad purgationem: quia licet pro sua voluntate, & potestate possit id facere, non tamen est iuxta ordinariam prouidentiam, quod sine aliqua certa lege aut ratione id fiat: nulla autem assignari potest. Nam quod dicebatur, singulas animas purgati vbi peccarunt, verisimile non est, nam peccata committuntur in variis ac distinctissimis locis: quis ergo credat animas singulas per omnia illa loca deferri vbi peccauerunt, vt ibi poenas luant? Praesertim quia simul potest anima varias poenas pati propter peccata in diuersis locis commissa, vel certe pro omnibus simul patitur donec ab omnibus purgetur. Deinde quia ratio iustitiae non postulat vt quis puniatur vbi deliquit, sed in loco malefactoribus destinato, nisi quando ob exemplum aliorum id fieri expedit, quod hic locum non habet. Rursus quia pro aliis statibus animarum, vt ad puniendum perpetuo damnatos, & certa loca destinata sunt: cur ergo hic prouidentiae modus circa animas purgandas mutari debuisset? Tandem quia ex ipsis reuelationibus, quae in contrarium afferuntur, potest oppositum constare. Nam Petrus Damian. in dist. Epist. refert sanctum illum Episcopum in flumine apparuisse, suamque purgatoriam poenam ostendisse quam patiebatur, eo quod in recitandis horis debitis temporibus negligens fuisset, vbi manifestum est culpam illam non fuisse in loco fluminis commissam. Denique argumentum sumi potest ex Gregorii historia: nam ille, qui in balneo apparebat, non ibi sua peccata commiserant, idemque est de similibus.

Ex his vero ulterius concludi potest, hunc locum esse vnum tantum, vel sumpto a simili argumento de aliis locis: nam pro singulis animarum statibus singula tantum loca deputata sunt: vel quia vnus sufficit, & superflue plura multiplicaretur, nec esset aliqua ratio sistendi in aliquo certo numero: vel denique quia modus ipsius poenae, & instrumentorum eius vnum tantum locum postulat, de qua re occurreret occasio dicendi plura in Disp. seq. vbi specialis difficultas circa hoc occurreret, & ideo haec nunc sufficiant.

Denique locum hunc subterraneum esse, & in concavo terrae iuxta locum gehennae constitutum, videtur sentire Ecclesia in illis verbis. Libera Domine animas fidelium defunctorum de penis inferni, & de profundo lacu. Petit enim liberationem esse Purgatorio, & non ab inferno. Verum est haec verba alii etiam modis posse exponi, vt infra dicam disputando de suffragiis. Sumi praeterea potest ex illis noui Testamenti testimoniis, in quibus dicitur, esse sub terra & in inferno animas aliquas iustas, quae Deum laudant, ac constantur. Vbi est illud ad Philippenses 2. In gemitu IESV omne genu flectatur caelestium, terrestrium & infernorum. Sed haec verba referri etiam possunt ad infernum damnatorum: nam daemones credunt, & contremiscunt, vnde sicut coacti credunt, ita coacti genua flectunt: & adorant, vt Chryostomus ibi, & Anselmus, & alii exponunt. Et fauet generalis illa locutio, Omne genu, qua videtur voluisse Paulus omnem intellectualem creaturam comprehendere, in quo-

Bonau. Palud. Durand. Gabr. Ratione ostenditur. Anima non purgatur vbi peccauerunt. Locum Purgatorij esse vnum ostenditur. Locum Purgatorij esse subterraneum probatur ex scriptura.



Apoc 5.

cunq[ue] statu, & termino existentem. Probatur ergo A idem ex illo Apocalyp. 5. *Nemo inuentus est dignus aperire librum, neque in caelo, neque in terra, neque subus terram.* Non enim videtur verisimile, Ioannem enumerare nisi iustos: illi enim tantum digni poterant videri aperire librum: ergo supponit etiam subus terram esse animas iustas. De quibus inferius subdit, cum aliis iustis dixisse, *Sedenti in throno, & agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum.* Quae verba sine dubio non sunt damnatorum, sed iustorum. Sed hic etiam locus exponi potest de animabus iustis, quae erant in sinu Abrahæ. supposita enim dicta expositione eadem ratione dicitur, animas Purgatorij non numerari inter eos qui videri poterant digni aperire librum, sed animas B Sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum. Nec refert quod hæc animæ iam erant in celo quando Ioannes illam reuelationem scripsit: quia fortasse in ea ostendebatur status & conditio humanæ naturæ prout erat ante Christi aduentum, quem omnes expectabant: quia solus ille inueniri poterat dignus aperire librum. Postquam autem ille venit, & victoriam reportauit, etiam illi qui erant subus terram, id est, in sinu Abrahæ, gloriam & honorem Deo cantant: quia iam per Christum beati effecti sunt. Adde Gregorium libro quarto Dialogor. capite quadregesimo secundo, per locum illum, *subus terram, infernum ipsum damnatorum intelligere: nam per librum, Scripturam intelligit cum Hieronymo Ezechiel. 2. & 44. & cum multis aliis, de quo optime dici potuit, neque Angelos, aut sanctos beatos, neque homines in terra degentes, neque ipsos demones potuisse illum librum aperire seu declarare. Et eadem expositio de inferno locum habet, etiam si per librum ipsammet prophetiam Apocalypsis, quam Ioannes scribebat, cum multis aliis, intelligamus. Alia vero posteriora per prosopopeiam dicta sunt de omnibus creaturis etiam carètib[us] intellectu, quoad quidem etiam pisces maris numerantur: & ideo in hoc secundo loco per creaturas subus terram existentes intelligi possunt etiam metalla & mineralia omnia, & damnati etiam iuxta sensum positum in priori testimonio. Quanquam optime etiam intelligantur de animabus Purgatorij, vt Ribera etiam notauit, non tam ex illis verbis probando Purgatorium ibi esse, quam supposita veritate Purgatorij, ad animas in illo existentes laudem illam, & benedictionem referendo.*

Greg.

Hierony.

Ribera

Ex Eccl. 24. *idem colligisur.*

Aliud testimonium, ex quo potest hoc comprobari, legitur apud Sapientem Ecclesiast. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terra, & inspiciam omnes dormientes & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Quae verba, & de sapientia inereata secundum se, & de incarnata sapientia possunt intelligi: vtroque vero modo ex eis constat esse in inferioribus partibus terræ aliquos dormientes sperantes in Domino, quod de damnatis dici non potest, sunt ergo illi qui purgantur. At hic locus optime intelligitur de antiquis Patribus existentibus in Sinu Abrahæ: Vnde ex isto probari solet descensus Christi ad inferos. Sed esto hoc verum sit, inde optimum argumentum colligitur, Purgatorium esse subus terram prope infernum. Nam, si locus ubi detinebantur antiqui Patres iam secundi ab omni reatu personali, fuit in illis infimis regionibus: quia erat veluti carcer in quo detinebantur propter reatum naturæ, donec per crucem expiaretur: multo magis locus, in quo & detinentur, & puniuntur animæ nondum perfecte liberæ à propriis reatibus, erit in illis infimis regionibus. Vnde Augustin. epistola nonagesimano-na ad Euod. significat CHRISTVM descendendo ad inferos, etiam ad Purgatorium descendisse, & ab illo aliquas animas liberasse, propter verba Act. *Solutis doloribus inferni.* Quamuis enim hæc verba a. l. 2. habeant expositiones, vt supra vidimus, & ille

Aug.

descensus Christi ad purgatorium incertus sit: tamen Augustinus pro certo supponit, omnia loca pœnalit[er] à quibus Christus animas liberauit, esse in inferno: non credo tamen Augustinum in ea fuisse sententia, vt existimauerit Christum ab inferno damnatorum aliquas liberasse. Huc accedunt reuelationes aliquæ, quibus Purgatorium subus terris visum est, vt refert Beda libro quinto Hist. Anglic. capitulo decimotertio & aliis locis infra tractandis.

Denique iuxta diuinæ providentiæ dispositionem locus hic superior terræ pro hominibus viatoribus deputatus est, vt sit quasi ad pugnam & meritum, vel demeritum destinatus: ergo non est verisimile in illo esse locum Purgatorij, in quo iam animæ sunt in alio statu. Nec tam fuit conueniens esse in aliquo loco supra terram: quia debet esse locus humilior, magisque tenebrosus, & in carceris modum accommodatus: ergo verisimilius est esse subus terram: sicut sunt reliqua loca animarum infelicitum, seu quæ beatitudinem assequi non poterunt. Neque reuelationes illæ, quæ in contrarium afferbantur, hos cogunt: nam etiam si admittamus omnino veras esse, & ex eis haberi aliquas animas in aliquibus huiusmodi locis purgari, dicemus illud esse extraordinarium, & præter legem, propter Dei voluntatem, & causam quam ipse nouit: locum autem lege statutum ad purgationem, definitum, ac iuxta centrum terræ existerem. Et hæc est communis responsio Theologorum quos supra retuli, & Supplem. Gabr. distinct. 45. quæst. 1. articulo primo, Soto quæstione prima, articulo primo, & tertio Carthusi, quæstion. 1. & Dialog. de iudicio, & libr. de Quatuor nouissimis, cap. 48. Adde vero, in his reuelationibus aliquid ostendi in aliquo loco propter aliquam significationem, vel occasionem, non quia in tali loco illud opus fiat. Hoc patet ex Petri Damiani historia supra citata: ait enim, Episcopum illum in flumine apparuisse euidam præbytero: cuiusque manum apprehendisse, vt vehementiam suæ pœnæ, & ardoris sentiret. At vero pœna illa vehementis vitiorum non erat in flumine, quantum ex proportionem loci & effectus intelligi potest: ergo illa reuelatione significatum non est, Episcopum illum ibi cruciari, ubi apparebat. Deinde in aliis capitibus eiusdem Epistolæ refert idem auctor, damnatos aliquos vivos esse in flumine, vel in aliis locis similibus, cum tamen certissimum sit ibi non puniri: Gregorij autem verba expressiora videtur, scilicet, *in hoc pœnali loco, seu, hic destinatus sum: vnde videtur magis requirere priorem expositionem. Nisi interpretemur, hic, id est, in hoc igne, quem patior, ibi enim etiam ignem Purgatorij sentiebat, vel hic, id est, in hoc pœnali loco, qui per hunc sensibilem significatur: sicut dicebat angelus representans Deum. Ego sum Deus, &c.*

Quem ordinem situs seruet Purgatorii locus ad alia receptacula animarum, quæ sub terra sunt.

SVperest vero dubium, quem ordinem situs seruet hic locus Purgatorij ad alia receptacula animarum, quæ sub terra existunt. Et difficultas est de comparatione loci Purgatorij ad Limbum puero-rum: nam de Gehenna omnes fatentur esse in infimo loco, id est in centro terræ; & de Sinu Abrahæ esse in superiori, hoc est, digniori loco, vt dixi in 2. ma. Tomo, Disp. 42. sect. 2. in fine. De aliis vero duobus locis inter se collatis est diuersitas opinionum, Quidam asserunt Purgatorium esse infra Limbum puero-rum, Gehennæ vicinum. Ita tenet Mai. d. 44. quæstione tertia, in fine & Paludanus distinct. 45. quæstione tertia, cum Petro de Tarantas. Problem. 1. artic. 3. Soto distinct. 45. quæstion. 1. artic. 2. qui Soto, D. Thom.

D. Tho. in suam sententiam adducit, eo quod dicit in d. 21. & 45. Purgatorium esse vicinum inferno, & eundem ignem habere: alibi vero docet oppositum ut iam dicam. Fundamentum eorum est, quia hæc duo loca conveniunt in pœne qualitate: in utroque enim est ignis eiusdem rationis; & ideo oportet esse contigua: adeo ut censent isti auctores nullo interiecto corpore denso ac solido separari, sed habere potius eundem ignem continuum, eundemque numero, solumque distingui quoad partes illius ignis, & per terminum à Deo præfixum. Confirmari potest hæc opinio, quia licet originalis culpa maioris mali rationem habeat, quam culpa venialis, aut reatus temporalis pœnæ, eo quod illa separat omnino à Deo, hæc vero non: nihilominus reatus proveniens ex culpa actuali, & personali, magis redundat in defectum, & in infamiam (ut sic dicam) peccatoris, & ideo ex hac parte meretur maiorem pœnam, saltem quoad sensum & dolorem: eadem ergo ratione statui talium peccatorum debetur vilior & inferior locus: huiusmodi autem est Purgatorium: ergo.

Alij sentiunt Limbum puerorum esse inferiorem, & propinquiorum inferno. Ita sentit D. Thom. in 3. d. 22. q. 2. art. 1. q. 2. ubi Gabr. idem sentit, eiusque Supplementum, 4. d. 45. qu. 1. art. 1. & Rich. ubi supra. Fauetque illis Concilium Florent. in Literis vniuersis, quatenus ait, Animas iustas, si nondum plene satisfecerunt, detineri in Purgatorio: eos vero qui in peccato actuali mortali, vel in solo originali decesserunt, mox in infernum descendere, pœnis imparibus puniendos. Vbi Limbum puerorum comprehendit sub inferno simpliciter dicto, non vero Purgatorium. Item significat, ad Limbum puerorum maiorem fieri descensionem, quam ad Purgatorium: imo transitum ad Purgatorium non vocauit descensionem, sed detentionem. Vnde ex illo loco certius apparet Limbum puerorum esse in inferno, quam Purgatorium. Ratio etiam reddi potest, tum quia Limbus est locus pro quibusdam Dei inimicis deputatus, & ideo maiorem conuenientiam habet cum gehenna, quam Purgatorium: nam animæ, quæ in eis sunt, veluti in ratione essentiali culpæ conueniunt, quæ est auersio à Deo: vnde etiam conueniunt in essentiali pœna, quæ est pœna damni: conueniunt item in æternitate pœnæ: ergo pensatis omnibus maior conuenientia est inter status animarum vtriusque loci, quam inter damnatas animas, & purgandas: ergo etiam loca debent esse inter se viciniora. Et confirmatur, nã hi pueri absolute sunt in statu indigniori: ergo debetur eis inferior locus.

Tertia sententia potest esse inter has media, scilicet, hæc duo loca non seruare ordinem inter se, sed æque ab inferno destinare, & æque esse illi propinqua secundum diuersas eius partes. Quod ut declararem, suppono infernum esse in ipsomet cætro terræ, quia debet esse in loco infimo, ut talis status meretur, & ita in hoc omnes conueniunt. Videtur ergo centrū terræ esse etiam centrū inferni, ipsūque inferni locum per modum spheræ vacuæ, seu concuæ, circa ipsam centrū terræ versus omnem mundi partem, in distantia vndique æquali, intra terminum à Deo præfixum, extendi. Quia supposito situ talis loci in illo spatio, nec potest melius concipi, nec maiori ratione versus vnā partem quam versus aliam constitui, aut extēdi. Supra hunc ergo locum variis modis possunt cætera loca constitui. Primo ut alia non constituentur, seu extendantur per modū circuli, sed tantum ut putei quidam versus aliquā partem huius mundi, ita tamē ut illa loca collocata sint vnus sub alio, & alius sub altero. Et hic modus non est dubiū quin sit possibilis: tamē quod ita sit, nullo fundamento ostendi potest. Et si vera est prior pars eius, asseritur secunda: nã, si hæc loca illo modo sunt constituta, non est cur vnus sub alio collo-

Fr. Suarez, tom. 4.

atus fuerit: sed poterunt versus diuersas mundi partes in eadem profunditate fieri.

Atque hic potest esse alius modus collocandi hæc loca iuxta quem cessat dubitatio proposita: nã supponit illa duo loca ita collocata esse, ut alter sit sub altero, quod necessarium non est. Sic ergo relinquitur certa opinio proposita, scilicet, quod hæc duo loca distant æque à gehenna secundum diuersas partes eius. Imo etiam sequitur, iuxta hunc collocacionis modum Sinum Abrahæ non esse supra purgatorium, vel Limbum puerorum, sed versus aliam tertiam partem mundi æque esse supra infernum collocatum. Cum enim vltima superficies concuua inferni amplissimum ambitum contineat, facile potest intelligi, supra illam immediate esse collocatos

puteos altissimos, & capacissimos, qui versus diuersas mundi partes protendantur. Neque video quomodo facile possit hoc impugnari: nam in Scriptura nullum habemus de hoc ordine iudicium, nisi hoc solum, quod gehenna fit infra omnem locum, propter quod infernus quasi per autonomasiam nominatur: quod autem alia loca inter se seruent ordinē inferioris & superioris, non videtur in Scriptura significari; nec ratione aliqua fati persuaderi. Nam sine dubio illa loca sic constituta possent esse capacissima ad recipiendas animas illuc destinatas: quia numerus animarum simul existentium in aliquo istorum trium locorum non seruat maiorem proportionem ad numerum animarum gehennæ, præcipue simul cum demonibus: ergo, si infernus est capax totius illius multitudinis, multo magis quilibet horum locorum poterit esse capax suorum captiuorum. Quod in singulis locis potest ita declarari. Nam in primis, id est certum de Sinu Abrahæ, cuius status & breui tempore durauit comparatione aliorum, & in toto illo tempore pauca animæ ad illum descendebant, facta etiam collatione ad alia loca, quia ante Christi aduentum gratia Dei paucis communicabatur abundanter, & cum perseuerantia dono. De Purgatorio etiam est certissimum eius status non esse perpetuum: in quo illud singulare est, quod non omnes animæ, quæ ad illud descendunt, simul aliquando in illo congregantur, sed successione quadam, sicut homines in hoc mundo, existunt. Vnde fit, ut numerus animarum, quæ in illo

loco simul existunt, semper sit exiguus, comparatione facta ad alia loca. De Limbo puerorum res est dubia: probabile vero est, etiam post diem iudicii non esse permansuros in illo loco, sed supra terræ superficiem, in quadam philosophandi ratione esse victuros. Quorum numerus etiam respectu aliorum paruus est: quia infantes, qui ad rationis usum nõ perueniunt, non sunt vigesima hominum pars, & ex illis multi saluantur. Itaque hæc tria loca illo modo collocata, ad finem eorum, & ad omnia quæ de illis dicuntur, sufficiunt: quia nec propter animas requirunt immensam aliquam magnitudinem, neque vnquam humanis corporibus replebuntur, sed solus infernus, iuxta discursum factum.

Propter quædam tamen Euangelij verba potest alius modus collocandi hæc loca & astruendi tertiam opinionem propositam excogitari, videlicet supra locum inferni, cætera loca esse etiam in circulo collocata; ita tamen ut non singula occupent integrum circulum. Non enim videtur necesse hos integros locorum circulos sese inuicem circumdare, seu continentes fingere, ac si essent elementaria, vel celestia corpora, cum animarum susceptioni non videatur tanta magnitudo necessaria. Videri ergo potest sufficiens, ut proxime supra gehennam sint Limbus puerorum, & Purgatorium, in modū circuli locum inferni circumdantis; ita tamē ut vnusquisque illorum locorum semicirculum tantum occupet, sintque inter se contigua, & supra locum infer-

Bbb 2 ni

II
Secunda.

12
Tertius mo
dus astruendi
etiam
opinionem.

10
Opinio ter-
tia.

Primus mo-
dus astruendi
etiam
opinionem.

ni æquali propinquitate, versus diuersas huius mundi partes collocata: supra illa vero sit Sinus Abrahamæ siue in modum alterius circuli, siue alio modo prout Deo placuit. Nam quod inter hunc sinum & gehennam sit aliquis locus medius, neque sint inter se contigua, videtur ex parabola de Diuite, & Lazaro colligi, in qua refertur diuitem in tormentis existentem eleuasse oculos, & uidisse Abraham à longè, quasi in superiori, & distante loco existentem, & Abraham dixisse, *Et in his omnibus inser nos, & vos magnum chaos firmatum est, &c.* Est ergo aliqua interceptio inter illa duo loca, quæ non videtur esse, nisi vel Limbus puerorum, vel Purgatorium, vel vtrumque simul. Deinde Purgatorium est iuxta infernum, vt frequentius Theologi volunt, non videtur autem verisimile totum illud circumdari Limbo puerorum, vt necessarium sit animas purgandas hinc exeuntes per Limbum puerorum transire ad Purgatorium, & inde reuertentes transire per eundem locum ad cælum, vel olim ad sinum Abrahamæ, quod videtur inconueniens: procedit autè supponendo, spiritus non transire ad extremum, nisi per medium. Similiter è contrario, quod Limbus puerorum sit vndiq; circumdatus igne Purgatorii, non est admodum verisimile: rectè ergo hoc ordine illa loca collocantur.

Alius etiam modus occurrit, quo hæc loca possunt intelligi situata, nimirum vt Purgatorium sit ad oram & quasi ripam inferni: sic enim in priuatis reuelationibus aliquando ostensum legitur: & S. Thom. certe ita sentit d. 21. nam vult eundem ignem esse in vtroque loco, imo eundem esse locum, solumq; differre, quia gehenna est quasi in profundo, Purgatorium quasi in ingressu illius loci: optime ergo locatur quasi in ora & circumferentia eius. Ne autem necesse sit animas, quæ ad infernum descendunt, per Purgatorium transire, verisimile est locum Purgatorii non integre, & ex omni parte totam circumferentiam inferni occupare; sed in aliqua mundi parte relictum esse aliquod spatium, in quo sit veluti os putei infernalis, supra quam partem nullus alius locus pœnalis collocatus sit. Quomodo intelligi potest, quod dixit Anselmus lib. de Imagine mundi, cap. 21. *Infernum esse inferius dilatatum, & superius coangustatum, scilicet, quoad foramen illud, quod est veluti os inferni.* Alia vero duo loca intelligi possunt longe distantia à toto inferno vt Purgatorium includit: inter se autem maxime vicina, & quasi contigua. Quod enim Sinus Abrahamæ multum ab inferno distauerit, & omnes Doctores docent, & plane colligitur ex citatis verbis Euangelij. Quod vero Limbus puerorum ab alio sinu, qui Limbus etiã appellatur, parum distet, colligi potest ex proprietatibus, in quibus illa loca conueniunt: nam in vtroque nulla est pœna sensus; in vtroque detinentur animæ solum propter Ad peccatum, quamuis diuerso modo: nam in vno detinebantur animæ propter illud peccatum, vt fuit totius naturæ, pro qua nondum erat satisfactum: in alio vero detinentur animæ puerorum propter peccatum illud participatum in propria persona, & in ea durans. Ex quo fit, vt Limbus puerorum sit in inferiori parte illius sinus, rãmen distans longe à locis pœnarum, & coniunctus Sinui Abrahamæ: nam est etiam probabile in illo Limbo habere pueros suã requiem, & quandam modum naturalis consolationis, si fortasse ignorant naturæ suæ casum, & redemptionem, solumq; naturali cognitione, & amore fruuntur. Vnde etiam credunt aliqui, ad tempus tantum ibi detineri, & quod sicut animæ sanctæ in primo Christi aduentu à suo Limbo eductæ fuerant: ita animæ puerorum ab illo loco in secundo aduentu Christi educendæ sunt, non vt in cælum ferantur, aut beatam Dei visionem accipiant, vt Pelagiani contra Euangelium senserunt; nec etiam vt mittantur in stagnū

A ignis, & demergantur cum damnatis in infernum, vt alij contra omnem rationem & pietatem opinati sunt: sed vt in superficie terræ habitent, hæc sententia sibi luce fruatur, Deumq; vt auctorem naturæ cognoscant, ament, & laudent, vt multi Theologi sentiunt, & in suo loco latius disputandum est.

Questionis resolutio.

Inter has sententias non potest ferri certum, imo nec definitum iudicium, quia res occulta est, & nõ reuelata, potuitque Deus, pro suæ prouidentia, ac sapientiæ ratione, vel his modis, vel aliis hæc loca constituere: & ideo de situ Purgatorii hæc sufficiat, atque etiam de aliis, de quibus obiter diximus, quia nõ possunt in hac disputatione seu collatione separari. Sempere autem verisimilius mihi est, hæc loca non esse ita subordinata per circulos, vt non possit ad vnum nisi per alium transiri, quia etiam censo inconueniens quod ante Christi aduentum omnes damnatæ animæ, & purgandæ transirent per Limbum Sanctorum Patrum, & sic de aliis: nec modus ille ædificandi, seu architectandi (vt sic dicam) illa loca ratione aliqua necessarius est, nec per se conueniens, aut consentaneus diuine prouidentie. Reliqua vero probabiliter possunt cogitari, & dici. Satis autem verisimile est, Purgatorium esse vicinum inferno, tum propter convenientiam in pœna sensus, & ignis: tum quia hoc spectat ad quandam maiorem afflictionem & humiliationem purgandorum, Et ideo non refert quod illæ animæ sint absolute digniores animabus puerorum, quia pro tunc merentur maiorem afflictionem & pœnas. Tum præterea, quia verisimile est post iudicium infernum dilatandum esse, & occupaturum totum purgatorium ignem, imo fortasse etiam ad Limbum puerorum, & antiquorum Patrum extendatur, vt aliqui censent. Sed hæc magis incerta sunt, quia de Limbo puerorum non constat an sit euacuandus. Concilium autem Florentinum licet de hoc Limbo dixerit esse in inferno, non tamen fecit comparisonem cum Purgatorio, sed consulo id præterisse videtur, imo & omnino de situ Purgatorii nihil significasse, quia est res quæ adhuc in disputatione Theologorum versatur. Quia tamen multum significat Limbum esse coniunctum inferno, ideo alia etiam opiniones probabiliter sunt.

An vero hæc loca distinguantur muris per interiectam alicuius terræ partis molem, vel solum terminis à Deo præfinitis; mihi non constat: neque ab auctoribus aliquid expresse dici video, præter eos qui sentiunt ignem inferni; & Purgatorem esse continuum, nam hi plane putant illa duo loca non habere murum, seu molem terræ interiectam. Quod nõ est improbabile propter rationes supra factas, neq; inde sequitur aliquid absurdum: nam ad distinctionem locorum factis est terminorum præfinitio, & quod non possit esse transitus, neque permissio, quod etiam ad decentiam animarum sanctarum, & conuenientem ordinem pertinet. De aliis vero duobus locis, vel inter se, vel cum aliis comparatis facilius eredi potest distingui muris, quia nullum habent commercium, nec est vlla necessitas, vel congruitas vt debeant aliter constitui. Quamuis verba illa Abrahamæ, *Inter nos & vos magnum chaos, &c.* indicare videatur spatium illud fuisse quasi concauum & subtili corpore repletum, nam vox *Chaos*, hæc indicat: & verbum etiam Græcum, quod dicitur *hiatus*, seu *voragine* significat. Sed quia spiritibus omnia penetrabilia sunt, ideo potuit tota illa distantia *chaos* appellari, etiam si aliqua pars densa, terra esset repleta. Paludanus vero, & alij indicant, totum spatium omnium istorum locorum esse concauum, & post diem Iudicij replendum esse corporibus damnatorum.

Tandem

13
Quæstio
modus.

Vide Paludanum
lib. 4. d.
45. c. 3. ex
Per. de Tur.
ram Pro.
blem 1.
ar. 3.

Vide Som.
nia, tract.

¹⁰ Tandem, quoniam de his locis vterius disputandum nobis non est, ex dictis etiam colligitur eorum sufficientia, de qua etiam videri possunt Paludan. Supplem. Gabr. & alij supra citati. Sumitur autem ex statibus animarum: quædam enim omnino felices sunt, & purissimæ, quæ non infra terram, sed supra cælos collocantur. Aliæ sunt omnino damnatæ, propter peccata propria, pro quibus est infimus locus simul cum dæmonibus. Aliæ sunt etiam damnatæ propter solum originale peccatum, quibus proprius locus debetur propter diuersum statum, & rationes supra tactas. Aliæ sunt iustæ, sed purgandæ. Aliæ denique fuerunt aliquando iustæ satisque purgatæ quoad personalia, eo vero tempore, quo nondum erat ianua cæli hominibus aperta. Non sunt autem plures status animarum, ergo nec receptacula earum. Satis vero pullulat quæstio de statu animæ de ceteris in originali peccato cum actuali veniali tantum. Sed de hac re & in 2. Tomo citato loco, & supra in hoc libro, agens de remissione venialium peccatorum, satis dixi. Aliæ vero difficultates, quæ hactenque poterant, post disputationem sequentem tractando de statu animarum Purgatorij, expediuntur melius.

DISPUTATIO XLVI.

De Genere, & acerbitate poenæ Purgatorij.



Voniam præcipuus finis Purgatorij est, vt animæ, quæ illic existunt, poenâ, suis peccatis debitam patiantur: ideo consequenter de qualitate grauitateque illius poenæ dicendum est. In qua re primum considerandum occurrit, quod duplex illa poena sit: deinde quam acerbam sit quibusque medijs seu instrumentis exerceatur: ac tandem quantum duratura sit, seu quomodo incipiat, continueque sustineatur, donec tandem finiatur.

SECTIO I.

Virum Animæ Purgatorij poenam damni & sensus patiantur.

¹ **P**oenam damni appellatur carentia diuinæ visionis, totiusque æternæ beatitudinis; poena vero sensus poena alicuius doloris specialiter infligti, vtraherentiam celestium bonorum. Quod ergo animæ Purgatorij pro eo tempore quo ibi detinentur, careant visione beata, manifestum est ex dictis. Disputat. præced. ideo enim ibi detinentur, quia non sunt expeditæ & aptæ ad videndum Deum. Item quia si viderent non essent capaces alicuius poenæ, quia visio, cum sit essentialis beatitudo, omne malum excludit iuxta illud, *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum & iam non erit amplius neque clamor, neque vllus dolor.* Adhuc vero dubitari potest, an illa carentia visibilibus habeat in illis animabus rationem poenæ damni, necne; non enim semper similis carentia habet rationem talis poenæ, vt in nobis constat. Quod ergo ibi non sit poena, sentire videtur. Caiet. tom. 1. Opusc. tract. 4. q. 4. & vterque disursu fundato in doctrina communi D. Thomæ, & multorum dicentium, duo esse in peccato: scilicet, conuersionem, & auersionem; & auersioni respondere poenam damni, conuersioni autem poenam sensus. Hinc enim sequi videtur, peccato iam remisso quoad culpam non deberi poenam damni, sed ad summum posse deberi aliquam poenam sensus: quia cum peccatum remittitur, omnino tollitur quoad auersionem, solumque potest manere quoad conuersionem. Ex quo tandem concluditur argumentum: nam animalibus Purgatorij remissa sunt omnia peccata

Fr. Suarez, tom. 4.

A quoad culpam, ergo ablata est ab illis omnino auersio à Deo, ergo ablatum est omne debitum poenæ damni, quod in auersione fundatur: ergo illa carentia non manet in illis animabus vt poena, sed solum ratione status, & necessitate quadam naturali, prout in nobis est. Et confirmatur, quia poena Purgatorij maximè infutura est propter venialia peccata, sed peccatis venialibus nulla debetur poena damni, quia non habent malitiam infinitam, vt tantam mercantur poenam; ergo.

Nihilominus dicendum est, animas Purgatorij poenam damni pati; imo hanc esse præcipuam poenam, quam ibi patiantur. Est communis sententia in 4. d. 20. & 21. vbi D. Thom. Bonauent. Palud. Richard. & alij: Soto dist. 19. Durand. in 3. d. 22. qu. 4. Et probatur, quia detinentur ab ingressu patriæ ratione culpæ commissæ: sed hæc est poena damni: ergo maior patet, quia nulla est in eis alia ratio cur detinentur. Nam quantum est ex parte status veluti naturalis, hoc ipso quoad sunt extra corpus, sunt in statu sufficiente ad videndum Deum. In quo multum à nobis differunt: anima enim coniuncta corpori corruptibili, ratione talis coniunctionis non est in statu apto ad videndum Deum, secluso omni alio impedimento; ergo illæ animæ iam separatæ ob aliud impedimentum priuantur eo tempore visione Dei: hoc autem non est nisi culpa commissæ nondum plene satisfactæ: ergo. Dices, non culpam ipsam, sed reatum poenæ manentem esse proximam rationem huius detentionis. Sed hoc nullius momenti est, quia ille reatus poenæ primo, ac per se est de ipsa carentia visionis Dei: non enim meretur videre Deum, qui pro peccato nondum illi plene satisfecit, quando in eo statu durat; *Qui enim habitabit in tabernaculo Dei, aut quis requiescet in monte sancto eius, nisi qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam?* vtiq; primo ac præcipue ad Deum ipsum. Propter quod alibi scriptum est; *Nihil conquinatum introibit in illam, scilicet, ciuitatem sanctam Hierusalem, in qua est visio pacis.* Neque enim putandum est ratione peccati commissi, etiam remissi quoad culpam, solum deberi homini poenam sensus, & quia hanc sustinere non potest videndo Deum, ideo detineri ab illa visione, donec satisfaciatur. hoc enim gratis, & præter omnem rationem excogitatum est, tum quia hoc ipso quod debetur poena sensus, intrinsece debetur detentio ab illo vltimo termino, nec possunt hæc naturaliter se iungi in illo debito, cum in se sint intrinsece connexa. Tum etiam quia peccatum potissime est poena dignum quatenus est vel simpliciter, vel aliquo modo Dei offensio, sub qua ratione ei maxime respondet carentia eiusdem Dei.

Ratio autem, que in contrarium inducebatur, ex falsis principiis, vel male intellectis procedit: supra enim in materia de Poenitentia ostendimus, cum peccatum remittitur, totum id, quod est culpæ remitti, siue ad auersionem, siue ad conuersionem pertinet. Itemque, si reatus poenæ manet, non solum manere propter conuersionem, sed etiam propter auersionem, imo propter hanc maxime: quia illa est potissima malitia propter quam præcipue debetur poena: vnde, si satisfactio hominis est insufficientis, maxime est, quia non est proportionata iniuriæ seu offensionis Deo factæ. Quauis ergo in remissione culpæ auersio omnino tollatur quoad maculam; reatus tamen poenæ ex illa nascens non omnino tollitur, quia non pendet ab illa in conseruari, nisi cætenus ad æternam poenam extenditur, & ideo adhuc potest manere reatus poenæ damni temporalis. Vnde de doctrina illa, quæ in contrarium allegatur, vel admittenda non est, vel secundum quandam accommodationem solum est intelligenda, vt citato loco latius declarauimus. Ad confirmationem negatur minor: nam sicut venialia peccata sunt aliquo modo offensiones Dei, aliquam poenam damni merentur,

Bbb 3 saltem

² Animas Purgatorij poenam damni pati, vt vult soluti. D. Tho. Bonau. Palud. Richard. Sor. Durand.

³ Obiectioni occurritur.

⁴ Non solum poenam sensus, sed etiam damni deberi propter peccatum iam remissum quoad culpam.

⁵ Ratio in contrarium soluitur.